



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam  
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem  
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum  
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, M.DC.LXXX.**

5. Pecularia alia ex Augustino argumenta; vbi etiam S. Thomæ mens  
contra eiusmodi decreta aperta monstratur.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

Augustinus censet non esse præfinitionem Dei de fide, &...

seruit, in responsione illa sua ad questionem Paganorum...

CERTAMEN V.

Peculiaria alia ex Augustino argumenta: ubi etiam S. Thoma mens contra eiusmodi decreta aperta monstratur.

Tertio impugnantur peculiariter ex Augustino eiusmodi ad conditionatam contingentium futuritionem...

Ex his locis peculiariter argumentor quarto Augustini auctoritate. Recitatis quippe verbis ait, se tunc non respondisse Paganis...

RTEGA... VIA



& prædestinante; atque an respectu fidei conditionatæ à Deo etiam esset sub conditione futuræ nam à statu absoluto ad conditionatum sub eisdem principiis valet consecutio, vt sæpe diximus.

4. Ob hanc ipsam notissimam consecutionem à statu absoluto ad conditionatum, & verbis datis, & statim dandis solius prædestinationis, seu decreti omnino, vt dixi absolute dandi gratiam, & per illam fidem Paganis meminit Augustinus iuxta aliam eius dictionis, *verum prædicato sibi Christo* (quam verosimiliorem esse dixi) interpretationem de prædicatione absolute posita, & purificata conditione, & posita absolute fide, vt reuera in Paganis illis fuit: etenim, ni supponeret eam à statu absoluto ad conditionatum notissimam cunctis fere ex terminis ipsis consecutionem inepte responderet questionibus subortæ Pelagianorum, & sinistrae reponsonis suæ ad Paganos interpretationi obnoxie. Si quidem solum responderet necessariam esse gratiam absolutam, & donationem Dei absolutam per absolutam prædestinationem (vel si pro nunc malueris præfinitionem fidei) ad fidem absolutam illorum, quibus purificata est conditio, & exhibitæ absolute prædicatio, & fides absolute donatæ, vel ergo ad fidei illius futuritionem conditionatam, ex Dei etiam gratia & donatione diuina requiritur vere, & ex sententia Augustini aliud decretum, seu præfinitio diuina absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti præter prædestinationem seu decretum, quod tale absolute omnino erit, & antecedit ex parte actus primi ad absolutam fidei illius futuritionem positum cum reliquis prærequisitis in illa hypothesi, & pro conditione, vel sufficit decretum hoc in hypothesi, & pro conditione cum aliis requisitis positum: si hoc postremum: respondit quidem virtualiter questionibus subortæ Pelagianorum, & sinistrae eorum suæ reponsonis ad Paganos interpretationem propulsaui, vt diximus, nosque vere, & ex mente Augustini habemus intentum, & Augustinum contra eiusmodi præfinitiones pro nobis: si autem ulterius requiritur ad fidei illius conditionatam futuritionem illud aliud aduersariorum decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti: nec questionibus Semipelagianorum satisfacit, nec calumniosam eorum interpretationem à se propulsaui: respondens per absolutam dependentiam fidei absolute à prædestinatione seu decreto omnino absoluto, cuius solum meminit ibi, nihil prorsus dicens de illo decreto fidei eiusdem absoluto subiectiue, & obiectiue conditionato, siue quo eiusmodi conditionata futuritio esse nequit per aduersarios: quare inepte, & questionibus & calumnie Semipelagianorum responderet.

5. Quod autem prædestinationis nomine sola absolute omnino prædestinatio, (vel si maior operis decretum omnino absolutum) intelligatur, constat ex aliis verbis, quibus eodem cap. 9. ad altum Dei, & latens consilium recurrendum esse in Tyrus, & Sidonis, quibus denegata de facto sunt signa, sub quibus visi conditionate credituri fuerant, sed quoniam eis non est datum, etiam vnde crederent est negatum etc. & ramentum si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibenda, vel dicta diuina, vel facta per qua possent credere, si audirent vtrique talia, vel viderent: & infra: sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia: cum ergo credituros sub conditione asserat, & prædestinatos neget: restat, vt expresse neget conditionatam eorum fidem pendere à decreto actu, vel solum loqui de omnino absoluto, vt ex locis aliis de eodem responso ad Paganos loquens ait cap. 16. de prædestinatione Sanctorum & 14. de dono perseverant. memoratis nu. 13. Atque in re speciatim præfinito ex verbis immediatis: *proinde, quod dixi* (ad questionem Paganorum) *tunc voluisse hominibus apparere &c. posset etiam sic dici* (vt præfinito etiam Semipelagianorum questionibus satisfaceret, & occurreret) *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat: & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem: vel si maioris præfinitionem absolutam significant, imo & præfinitionem absolutam, vt ostendi citata disp. 5. q. 2. cert. 5. n. & 29. diuersaque est à responso illa Paganis data, imo & à proxime data, vt errori, & interpretationi Semipelagianorum occurreret quoad præfinitionem, licet proxime*

huic conformis, quoad omnino absolutam prædestinationem, atque ei æquivalens ad errorem & calumniam Semipelagianorum obstruendam. Porro hoc argumentum, siue primam, siue secundam interpretationem eius dictionis, sed *verum prædicato sibi Christo* sequamur, eandem vim habet, quam non minus, si dicas, etiam æquivalenter occurrisse Augustinum, & errori, & calumnie Semipelagianorum semper omnino absolutam prædestinationem, seu decretum omnino absolutum fidei absolute eorum, quibus purificata est prædicationis conditio memorans: quia, cum decretum hoc absolutum fidei, siue prædestinatio absoluta, supponat aliud ex parte solum obiecti conditionatum de fidei conditionata futuritione, dum illud asserit, & hoc supponit Augustinus: quare, & æquivalenter errori, & calumnie Semipelagianorum occurrit Augustinus, vt nos iuxta aliam nostram interpretationem dicimus: verum hæc solutio haberet hic verisimilitudinem, si suppositio hæc vnus decreti ad aliud in Augustino alibi aliter, vel saltem indirecta leuiter, haberetur, vel ex natura rei euidens ab vno ad aliud decretum consecutio esset: quemadmodum euidens, & fere ex terminis ipsis nota est, ad prærequisita solum in hypothesi ad statum futuritionis conditionatum eorum solum, que absolute posita, & purificata requiritur, ad statum contingentis cuiuslibet absolutum. At, ne leuiter quidem insinuat alicubi ab Augustino deprehenditur ea suppositio, etique rationi naturali repugnans, vt cert. 5. demonstrabo: ergo nihil habet verisimilitudinis solutio, sed mere gratuita, & irrationaliter tradita: quo pacto, quibus quamvis chimæram suppositionem ad faos errores tuendos poterit Patribus, & Conciliis adscribere: nullaque proinde hæresis erit.

6. Argumentor quinto ex Augustino: quia in eius doctrina præfinitio (non quidem absoluta, que post decretum omnino absolutum est) conditionata præcedit absolute ad omne decretum de contingentibus ab Augustino cognitum actualiter: ergo nullum absolutum decretum supponit, ac proinde, tam ipsa, quam eius obiectum, conditionatum scilicet contingens, futurum est independens ab omni actuali decreto, quod Augustinus cognouit, consequentia est legitima Antecedens probatur ex Augustino de dono perseverant. c. 17. sic scribente: *in sua præfinitio, que falli mutarique non potest opera sua disposuit futuris: neque aliud quicquam est prædestinare: quod idem aduersariorum doctrina circa contingentia, atque actualiter præfinito est, seu efficaciter ea decernere: aut scientia, in qua aliquid à Deo disponitur per decretum, ipsum dirigit, & antecedit: ergo nihil actu decernitur circa futuritionem contingentis ex Augustino, quin scientia conditionata præcedat, stando decretis actualibus, que Augustinus cognouit. Dices primo: nomine prædestinationis, & decreti actualis Dei intelligi ab Augustino prædestinationem, & decretum omnino absolutum circa futuritionem absolutam non circa conditionatam, de qua, & circa quam est decretum solum actuale ex parte subiecti. Bene: hoc ego solum contendo: sola decreta actualia absoluta profus, seu prædestinationem absolute talem tendentem circa absolute contingentis futuritionem esse decreta seu prædestinationem actualem Dei cognitam, & cogitam ab Augustino. Secundo vel est aliqua dispositio apud Augustinum actualis Dei, seu prædestinatio (ita enim dictum ab Augustino volunt aduersarij perpenis super locis decretum Dei suum de conditionata futuritione) circa contingentiam conditionatam futuritionem, vel non? dicent esse: quia alioqui hæc decreta sua Augustino aduersarij fatebuntur: atque hæc etiam dispositio actualis est in præfinitio conditionata, eaque proinde dispositio, non autem ab ea dependens. Dices secundo: præfinitio illam, in qua Deus futura conditionata disponit per Augustinum esse simplicem intelligentiam non conditionatam. Contra tamen est: quia præfinitio, in qua Deus dicitur futura disponere ab Augustino, est, que ratione suæ immutabilitatis, & infallibilitatis, ita futuritioni rei fidei iubet, vt sic futura res sit, sicut fore à Deo disponitur: ita, vt, si ita non foret, scientia, in qua dispositum est in se, vel in veritate deficeret, essetque proinde fallibilis, & fallax: hoc autem non eueniret scientiæ simplicis intelligentiæ de rerum possibilitate, est futuritio rei per illam, seu in illa disposita aliter, ac disposita est, semper*

semper enim verum esse, esse possibilem, sicut per scientiam simplicis intelligentie fuerat representatum: ergo quæcumque futurio disposita in præsentia dicitur ab Augustino, non in præsentia simplicis intelligentie, sed conditionata, dicitur disposita. Simile argumentum efformari potest ex loco Pauli ad Rom. 8. *quos præscivit, prædestinavit*, & eius Commentatore Theophylacto aicnte: *Prior itaque est præsentia, postea prædestinatio. Prædestinationem autem intelligimus, impermutabilem Dei voluntatem*. 7. Sexto argunt, & nonnulli ex nostris, & contra scilicet Hieronymus Viues, iactans à nostris cum Augustini locum notatum non esse: verum nouem ante eius librum annis ab Annato nostro notatus fuerat d. i. contra Tullium c. 3. §. 3. n. 33. verum dicit tamen, si non de loco, sed de eius ponderatione, & sua, & aliquorum loquatur, textus Augustini est. *Prædestinatio est, quæ sine præsentia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præsentia: ita enim scripto. de prædest. Sanctor. Ponderatio est Præsentia, sine qua non potest esse prædestinatio, seu decretum, est conditionata: atqui hæc potest esse sine prædestinatione, aut decreto per Augustinum: ergo scientie conditionatæ subinde obiectum contingens conditionatæ futurum potest esse sine prædestinatione, ac decreto. Omnia solutio inani Viues, cuiusque impugnationibus, inutilibus propterea, à nostro Bottull. datis d. 7. sect. 2. n. 436. ponderatio, & argumentum hoc euanciscit. Nam præter scientiam conditionatam absolutam etiam præsentia peccatorum absolutæ futurorum esse potest, estque de facto in sententia Augustini sine decreto: & de hac, non de conditionata præsentia, aut conditionatis, ex parte obiecti tantum, decretis, loquitur expressè eo loci Augustinus, ita propositionem suam immediate probans, *Prædestinatione quippe ea præsentia Deo, quæ fuerat ipse factururus, unde dictum est, scilicet quæ factura sunt. Præscire autem potest etiam, quæ ipse non facit: quare ex hoc loco nihil directe, & in terminis contra decretum Thomisticum, obiecti conditionatum ad futuritatem conditionatam contingens deduci potest; nisi indirecte solum: quatenus, vt dixi, solum ex eo, quod ad absolutam aliquid contingens futuritatem decreti Dei omnino absolutum, non requiritur ex Augustino; neque ad eius, aut alterius cuiuspiam contingens conditionatam futuritatem requirendam esse legitima illatione monstratur. Atque hac ratione eo loco vitur ad præsens institutum Annatus noster. Nos vero qui directis solum impugnationibus eiusmodi decretorum in præsentiarum vti fecimus, eo, sicut alii vniuersim omnium præsentiarum omnino absolutarum de absolute futuris contingens ad ipsum impugnantibus, abstinemus: eas scilicet omnes sequentibus quætionibus fuisit datur.**

8. Ex quibus omnibus concluditur Patres memoratos, & præcipue Augustinum, futuritatem contingentem conditionatam independentem ab actuali de illa decreto; imo absolute vlla huius cogitatione agnouisse: atque ex eius principis, & doctrina eiusmodi decreta non posse consistere: & quod specialius est, illo ipso Augustini loco ex n. 1. ea decreta impugnant, quo ex Augustino alte, ac firme fundant, ac proinde scientiam mediam iugulari æstimant aduersarij, & cum Ioanne à S. Th. clamant; sed eius loci data intelligenda videbis ex iugulatione ista, neque tam quidem sanguinis suere: fortasse, sicut Missæ Sacrificium, & hanc iugulationem incrementum esse volent. Non omitam, neque, vt silentio prætereas, committam, quod Ioan. à S. Th. primus, & ex ipso Viues d. 4. n. 3. & 4. dissimulata responsione aperta Annati nostri d. 4. c. 1. n. 7. que est contra Ioan. à S. Th. (tam tamen eius contra hunc defensionis scientia mediae Tolocæ nouem ante librum Viues annis fuerit cula) ait: *scilicet initio disputatorum de auxili. nostris solis rationibus naturalibus, nulloque Augustini testimonio egisse: illius autem Summi Pontificis totam disputacionem ad S. Augustinum deuolutam esse, extrinseque primum nostros huius testimonio vfos esse: sed, præter damnationem factam eiusmodi historiae disputacionum de scientia media, cum accersit Carmelitano Discalearo Salmantino, tum à Ioanne à Sancto Thoma editæ, & similium factam ab Innocentio Papa X. decreto suo euulgato die 27 Aprilis anni 1658. & eiusmodi historiae contradiccionibus, & inconsequentiis ab eodem Annato deprehensas, legant Valquez notam tom. 1. in 1. p. diu ante Romanas has disputaciones eod. tempe anno 1595. vbi scientiam conditionatorum ex*

scriptura, & Patribus, præsertim Augustino, probat: id quod, & Fonseca in sua metaphysica anno sequenti typis vulgata præstitit, vt conitat ex t. 3. mer. lib. 6. c. 2. q. 4. sect. 9. sine: quin & Molina auiliorum intrinsece non efficacium, ac proinde scientie huius primus expressus in terminis, & acerrimus defensor doctrinam Augustinianam prout esse faceret, & probaret, licet non fuisse ab ipso omnia eius fundamenta, & circumstantias explicatas asserat: quia nimirum de ea tunc in terminis ex instituto non disputauit Augustinus, sed, aliud disputans, supposuit: ex quo apparet falso citari ab aduersariis, cum Molinam in concordia ad q. 23. t. p. a. 4. & 5. d. 1. m. vlt. tum Valquium tom. cit. d. 67. c. 4. sine, tum Fonseca sine, quasi dixerint: eiusmodi scientiam conditionatam ab Augustino, & aliis Patribus omnino fuisse ignoratam; cum tamen primus id solum dixerit quod retulimus; Valquez vero de nomine scientie medice inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis agnitiuæ præscire non fuisse eo loci solummodo dixerit: non autem de re ipsa, quam eorum testimonio, sicuti, & Fonseca confirmarat.

9. Decreta hæc de futuris sub conditione ad eorum conditionatam futuritatem statuendam eisdem fere rationibus impugnant directè posse ex Sancti Thomæ locis, quibus ex Augustino impugnatæ hæc tenus à nobis sunt, scilicet quia scientiam eorum conditionatorum, ac proinde conditionatam eorum futuritatem, frequenter, & supposit, & asseruit, (vt decretales isti Thomistæ fatentur) quin eiusmodi decreta infirmauerit, aut de illis cogitauerit, vt ex testimonio opponendis patebit. Secundo specialius probatur ex Augustino nobis obiecto, & contra Thomistæ ipsos obiectantes instructo affini, & simili omnino loco S. Tho. 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. vbi de responsione illa Augustini ad Paganorum quætionem ait: *sed hanc responsionem reprobandam idem Ang. in lib. de persuasione, dicit. Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse; cum ipse Dominus attestetur eis, quod acturi essent magna humilitatis penitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum? Proinde, vt ipse soluens subdit: non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, qui eos, quos prauitatis, si apud eos facta essent, his miraculis credituros, quibus voluit, subuenit: aliis autem non subuenit: de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed aliud iuste iudicauit.* His autem verbis S. Thom. scientiam mediam admittit illis Augustini verbis, *Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios: quam retractatam non ait S. Th. sed responsionem ex illa Paganis datam, ostendisse pro omnibus aliis quætionibus super prædestinationis, & reprobationis negotio; generalem esse non debere: cum Tyriis, & Sydonis (de quorum fide conditionata, si signa, & virtutes exhiberentur, dubitare non licet, tamen exhibita à Deo non fuerint: quia nec eis, licet iuste, misericors Dei voluntas, nec prædestinatio adfuit, vt exhiberentur, & crederent, atque agerent penitentiam. Rogo ergo aduersarios: num misericordis huius voluntatis, & prædestinationis nomine solum omnino absolutam voluntatem de absoluta fide intelligi velint ab Augustino & S. Thom. an etiam conditionatam obiectiue de fide sub conditione futura? hoc postremum dicit nequit: siquidem Tyriis, quibus misericordis hac voluntate, & prædestinatione subuenit non esse S. Th. ex Augustino ait; esse autem proculdubio subuenit, si iuxta hos Thomistæ voluntas Dei effectiue conditionata ex parte obiecti ad huius conditionatam futuritatem requiretetur: cum reuera, & per Augustinum & S. Th. fides & penitentia conditionata in ipsis fuerit. Si primum, ergo S. Tho. ex Augustino ad solum fidem, & penitentiam absolutam, voluntatem Dei, & prædestinationem, omnino scilicet absolutam, requirit: scientiamque, & futuritatem conditionatam fide, & penitentia Tyriorum absque Dei vlla voluntate, & prædestinatione absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti recognoscit. Alia argumenta ex S. Thoma indirecte contra hæc etiam decreta initio, quatenus S. Doctor decreta omnino absoluta ad absolutam contingentiam futuritatem frequentissime, & aperissime excludit; multoque priori iure, & decreta præsentia ad conditionatam futuritatem; quo argumenta, & vereres plures S. Th. discipuli, & Affecta, & subtilis Scotus, eiusque scholæ Primores cum nostris horum decretorum impugnationibus castra habent communia.*

B. T. E. G. A.  
V. I. A.

